

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**D. Gebh. Theodori Meieri Theologi & Prof. in Academia
Julia Antichiliasmus Absolutissimus**

Meier, Gebhard Theodor

Helmstadii, 1696

§. XXVI.

urn:nbn:de:bsz:31-105465

concupere, & ne sic quidem omnino assequi valemus. Si enim, v. g. illud æternitatis, quod a tempore conditi mundi usque adhuc seculum se, ut ita loquar, extendit, rationem aliquam haberet ad illud temporis, quod interea elapsum est, utique tota æternitas in partes, licet numero infinitas, at mensurabiles tamen, posset dispesci, atque sic in quantum aliquod infinitum degeneraret, essetque idem quod fluxus temporis nunquam desinentis, quod est absurdum. Imo sic posset, ex definitione rationis mathematicæ tempus hoc tam diu multiplicari, donec aliquam æternitatis partem quantitate superaret, quod est æque absurdum. Hinc possemus, si ista proportio diei in æternitate ad M. annos temporis proprie foret intelligenda, determinare, quot dies Adam in æternitate jam vixerit, quatuor scilicet dies & ultra dimidium. Quis vero talem loquendi modum pro vero esset admissurus? Multo minus ergo, cum Scriptura, ut rudem aliquem æternitatis conceptum nobis pro captu nostro imprimat, diem æternitatis cum M. annis temporis comparat, nobis inferre inde licebit, quod dies adventus Christi per M. annos sit duraturus.

XXVI. Hactenus de hujus universi destructione actum fuit; antequam vero ad theses de extremo judicio revertar, prius inserendæ erunt quædam conclusiones de statu generis humani & Ecclesiæ, usque ad extremam mundi destructionem, quam in die adventus Christi futuram esse demonstratum est, perpetuo duraturo, quæ tamen ita proponi debebunt, ut non solum ante adventum Christi perpetuo eas manere veras constet, id enim Chiliastas non adeo feriret, sed ut quamdiu genus humanum, & Ecclesia in terris futura est, horum veritatem nunquam infringi posse certò

appareat. Sit ergo Assertio decima: Ante adventum Christi, universalemque mundi destructionem, seu quamdiu Ecclesia in terris erit, nullum tempus expectari potest, quo pii floreat omni felicitate, atque immunes sint ab omnibus malis & afflictionibus. Ratio manifesta est, quia tum demum redemptionem nostram à calamitatibus adesse dicit Salvator, cum ipse Filius hominis venturus est in nube, cum magnâ potentiâ & gloriâ *Luc. XXI. 27. 28.* Non autem prius eum venturum esse quam totum hoc universum flammis concremetur & destruat, ex præcedenti conclusione indubium est.

XXVII. Sed forte dicent Chiliastæ petitionem principii esse, si quis thesin controversam, etiam ex ipsius opinione satis firmiter demonstratam, adhibere velit ad aliam controversam demonstrandam. Ad eoque ex abundantia (quamvis opus haud esset, quæ enim demonstrata sunt, pro controversis amplius haberi nequeunt, nisi prius eversa sit demonstratio) poterit proposita Assertio probari ex 2. *Tim. III. 12.* OMNES, quicumque pie volunt vivere in Christo, debent persecutiones pati. Nihil hic limitatur sed simpliciter de omnibus piis pronuntiatur, quod debeant pati persecutiones, cujus dicti veritas quamdiu Christiani in terrâ vivent, obtinebit. Contradicit itaque apertissimo Dei Verbo, si quis statuatur, tempus adventurum esse, in quo pii in hoc mundo vivant absque persecutionibus, ita ut, qui interea nascantur, omnium malorum sint & maneat expertes. Quin adeo universale hoc est, ut docente Apostolo *Rom. VIII. 29.* nemo (ex adultis scilicet) possit *cum Christo glorificari, nisi prius eidem similis factus sit in cruce.* Quos enim Deus, dicit

cit ibi, r
sint) hos
magini
35. 36, ut
calamita
primog
mitares
ret, ne
bere,
lesque
quis v
caros
sint, q
man os
fictio
pars v
ange
Vener
eamqu
nes int
tio tant
aliam v
esse or
se expe
aliud ip
ab omni
regnum
que obt
si regnu
ut non a
Arcum r
Ecclesiar